



**R. P. Georgii De Rhodes Avenionensis, È Societate Iesv,
Philosophia Peripatetica, Ad Veram Aristotelis Mentem**

Rhodes, Georges de

Lvgdvni, 1671

II. De natura scientiæ metaphysicæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95638](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95638)

Quaest. I. Sect. III. de Habitu scientiæ. 617

Tertiò non distinguuntur isti habitus si ambo sunt discursiui: sed habitus principiorum non minùs discursiuus est, quàm scientia, principia enim probantur per inductionem: ergo non distinguuntur isti habitus.

Habitus principiorum an sit qualitas.
Dico primò, habitum principiorum, quæ non sunt dignitates, esse veram qualitatem intellectui superadditam, & acquisitam per actus. Sola explicatione conclusio indiget, ad cuius intelligentiam scienda sunt tria, quid sint principia, quot illorum genera, quomodo probentur.

Quid sit & quotuplex principium.
Obserua igitur primò, principium appellari propositionem indemonstrabilem per aliud, quatenus principium est; quæ nimirum ex sola terminorum explicatione cognoscitur, vt, *Quodlibet est, vel non est.* Sunt autem genera duo principiorum, dignitates nimirum, & suppositiones. Dignitates, seu axiomata, sunt principia communia omnibus scientiis, quæ nullo modo possunt demonstrari, sed ex solis terminis, sine discursu, tum doctis, tum indoctis sunt nota: nam vt aliquod axioma sit dignitas, oportet vt commune sit pluribus scientiis, vt cuiuslibet per se notum sit, vt sit omnino indemonstrabile. Suppositiones sunt propositiones particulares scientiarum ex sua natura tales, vt possint demonstrari; quæ tamen non demonstrantur, quia sunt principia.

Varietas principiorum.
Obserua secundo, plura quidem esse principia vniuersalissima, sed illud tamen, *Quodlibet est, vel non est*, implicite in omni demonstratione includi, quia omnis demonstratio potest probari per deductionem ad impossibile, quæ deductio semper in eo principio fundatur. Principia verò secundi generis in qualibet scientia sunt saltem duo, ad quæ tota reuocatur scientia: neque potest esse duntaxat vnum, quia in qualibet demonstratione tres semper sunt termini, qui non possunt in quolibet principio reperiri, sed necessariò sunt duo, quæ petuntur à causa immediata connexionis prædicti; sic enim in priori principio causa illa vnitur prædicato, in posteriori vnitur subiecto.

Quomodo probentur.
Obserua tertiò, dignitates non indigere vlla inductione, aut experimentalis noticia, vt cognoscantur, sed ex solis terminis esse notas: suppositiones autem indigent præuia inductione, vt cognoscantur: v.g. vt cognoscam physicum hoc principium, *Omne corpus naturale est mobile*, oportet vt facta inductione per corpora videam vbiunque naturalitas est, ibi esse mobilitatem.

Sed queritur, vtrum illa inductio exigatur tanquam ratio formalis assentiendi, an verò per modum conditionis & manuuctionis ad assensum sequuntur ex solis terminis, postquam posita fuerit inductio tanquam conditio applicans rationem formalem assensus.

Breuitè dico distinguendum esse; nam principium vel sumitur prout est in propria scientia, cuius est principium; vel sumitur extra demonstrationem. Si secundo modo sumatur, est verè demonstrabile per inductionem, tanquam per rationem assentiendi; & hoc non facit habitus principiorum, qui nullo modo est discursiuus, sed sola Metaphysica, vt rectè declarat Suares *dis. p. 1. sect. 4. à num. 12.* Si verò priori modo, principia non possunt demonstrari per inductionem, tanquam per rationem formalem assensus, alioqui demonstratio propter quid, demonstraretur per demonstrationem quia; & deinde illa non essent principia, quæ vt talia non probantur per aliud tanquam per rationem assensus.

Colliges ex his, habitum principiorum rectè *R.P. de Rhodis curs. Phil. soph.*

A definiri, *Est habitus intellectus inclinans potentiam intellectiuam ad promptè ac sine difficultate assentiendum principiis immediatè sine vilo discursu.* Vocatur autem intellectus; quia sicut actus voluntatis, quo fertur in finem, dicitur voluntas, eo quod sit primarius illius actus; sic eandem ob causam actus intellectus, quo fertur in principia, quæ in speculatiuis sunt instar finis, dicitur intellectus; quod idem nomen habitui tribuitur versanti circa talem actum. His positis.

Definitio habitus principiorum.

Ratio conclusionis euidentis est, quia dignitates sunt naturaliter notæ, vt nulla sentiri possit conclusio. difficultas in assensu, modò noti sint termini. Circa suppositiones autem maiorem aliquando, aliàs minorem experimur difficultatem.

B Dico secundo, habitum scientiæ realiter distinctum esse ab habitu principiorum.

An distinctus a scientia sit habitus principiorum.

Ratio est, quia vbiunque ratio assentiendi diuersa est, & diuersus modus assentiendi, diuersus etiam est habitus: in habitu principiorum, & in habitu scientiæ, diuersa est ratio assentiendi; veritas enim incomplexa terminorum cognita per primam operationem, & veritas complexa terminorum cognita per secundam operationem, sunt rationes motiue diuersæ; veritas autem incomplexa terminorum cognita per primam operationem, est ratio motiua habitus principiorum, & ratio motiua scientiæ est veritas complexa principij: ergo rationes assentiendi differunt, & ipsi etiam habitus. Deinde modus assentiendi diuersus est, nam principiis assentimur propter se, scientiæ verò assentimur propter principia; cùm scientia discursiua sit, non autem habitus principiorum, cuius proprium est cognoscere veritates immediatas, notas ex solis terminis. Distinguuntur itaque isti habitus, sicut habitus fidei distinguitur ab habitu Theologiæ.

Ad primam satis patet ex dictis, non esse difficultatem vllam in assensu principiorum, quæ sunt dignitates; in aliis esse difficultatem.

Solutio trium difficultatum.

Instabis: Postis præmissis nullam experimur difficultatem ad assensum conclusionis scientificæ: ergo non debet dari habitus scientiæ.

Respondeo habitum scientiæ non exigi ad eliciendam conclusionem positis præmissis, sed ad ponendas præmissas in ordine ad talem conclusionem; in quo est difficultas.

D Ad secundam negatur paritas, quia medium & finis eandem habent appetibilitatem, seu idem motiuum appetitionis; cùm bonitas medij distincta non sit à bonitate finis. At verò principia & conclusiones habent motiuum assensus diuersum, idè pertinent ad diuersos habitus.

Ad tertiam respondeo, habitum principiorum non esse vilo modo discursiuum: quod si principia probantur per inductionem, sola hoc facit Metaphysica, vt dixi.

QVÆSTIO II.

De natura scientiæ Metaphysicæ.

Sic inspectâ generatim scientiâ, non erit difficile statuere de nobilissima eius specie, dominâ videlicet & principe omnium scientiarum, vt appellat Philosophus Metaphysicam *lib. 6. cap. 1.* de cuius caractere proprio constabit assatim, si dixerò, quale sit eius obiectum, quæ munera, quæ proprietates.

FFF 3

SECTIO

SECTIO I.

De obiecto proprio scientiæ Metaphysicæ.

Triplex sententia de obiecto metaphysicæ.

Obiectum igitur principis scientiæ aliqui latissime patere volunt, alij angustissimum esse statuunt, alij mediam viam ineunt, ut latè tradunt Suarez *disp. 1. sect. 1.* Fonseca *4. Metaphys. cap. 1. q. 1.* qui latius illud extendunt, quia omne ens, tum reale, tum rationis, tum per se, tum per accidens, volunt obiectum esse adequatum Metaphysicæ. Qui arctissime illud contrahunt, vel solum Deum aiunt esse obiectum totale Metaphysicæ, ad quod alia omnia referantur, & in ordine ad quod solum considerentur: sic enim latè probare conatur Hurtadus *disp. 1. sect. 3.* vel omnem substantiam immaterialem, tum increatam, tum creatam: vel denique omnem substantiam. Qui mediam insistant viam, Philosophum ducem sequuti, negant ens rationis, & ens per accidens pertinere directè ad Metaphysicam, aut etiam ens materiale ut sic: sed neque volunt solum Deum, & Angelos, aut solum substantiam spectari à Metaphysica. Vnde medium aliquod inueniunt, quod priorem restringat sententiam, & posteriorem dilatet.

Prima dubitatio.

Ratio tamen dubitandi primò est, quia contrariorum eadem est disciplina; Logica enim contemplatur syllogismum verum, & fallacem: ergo Metaphysica, quæ considerat ens reale, considerat etiam ens rationis illi oppositum. Deinde illi actus, *Ens rationis illud est quod solum habet esse obiectivè in intellectu: Ens per accidens, quod consistat ex pluribus entibus completis*; sunt veri actus alicuius scientiæ, non alterius quàm Metaphysicæ: ergo Metaphysica speculatur per se ens rationis, & ens per accidens.

Secunda.

Secundò. Illa scientia, quæ versatur circa genus, versatur etiam circa species contentas sub tali genere; sic enim Physica considerat quodlibet corpus, quia obiectum eius est corpus: Metaphysica versatur circa ens, cuius species sunt entia omnia particularia: ergo Metaphysica versatur circa entia quælibet particularia, quæ dicuntur esse obiecta reliquarum scientiarum, & sic frustra ponuntur aliæ scientiæ præter Metaphysicam, si obiectum eius est ens. Confirmatur, quia ens ut ens, non magis complectitur proprietates rerum immaterialium, quàm rerum materialium: ergo Metaphysica illas etiam speculatur.

Tertia.

Tertiò. Illud solum est obiectum adequatum Metaphysicæ, ad quod omnia referuntur, etiam provt traduntur in Metaphysica: sed ad substantias immateriales, Deum videlicet & Angelos, omnia referuntur quæ traduntur in Metaphysica, etiam provt in ea traduntur: ergo Deus & Angeli sunt obiectum adequatum Metaphysicæ. Probatur minor. Cognitio partis per se ordinatur ad cognoscendum totum; cognitio autem totius non ordinatur ad cognoscendam partem: sed Deus & Angeli sunt totum, rationes autem entis communes, non sunt nisi eius partes, cum sint genera: ergo ad Deum & Angelos referuntur rationes communes entis. Minor patet, quia sicut se habet res ad esse, sic se habet etiam ad cognosci: pars autem in suo esse ordinatur ad totum: ergo etiam in cognosci.

Obiectum materiale.

Dico primò, Metaphysicæ obiectum materiale, proprium ac primum esse omne ac solum ens reale, ac ens per se; ens autem rationis & ens per accidens nullo modo pertinere ad obiectum illud primum.

A Primò dixi *omne*. Probatur, quia illud est obiectum materiale Metaphysicæ, quod secundum aliquam rationem consideratur ab ea primò & per se: Metaphysica primò & per se considerat omne ens reale secundum aliquam rationem: ergo omne ens reale obiectum est materiale Metaphysicæ, non autem solus Deus, aut sola substantia immaterialis. Probatur minor. Rationes communis entis omnino universales sunt aliquid scibile per se primò independentè à quolibet alio: nulla est scientia, quæ illas consideret præter Metaphysicam: ergo Metaphysica considerat omne ens reale per se primò, saltem secundum universallissimas illas rationes entis. Neque hoc argumentum solui commodè potest dicendo, rationes illas communes entis considerari quidem, sed in ordine ad Deum, aut in ordine ad substantias immateriales. Idè enim ut hoc præcluderem in argumento, addidi *per se primò*: nam etiam abstrahendo à Deo, & Angelis rationes illæ communes entis sunt aliquid scibile per se primò: ergo illæ cognoscuntur à Metaphysica per se primò sine ordine vltro ad Deum & Angelos; si enim per impossibile nullus esset Deus, & homo esset ens, ratio entis esset aliquid scibile. Confirmatur, quia nulla de Deo & Angelis haberi potest scientia naturalis, nisi dependentè à rebus materialibus: ergo nulla esse potest scientia naturalis, quæ Deum attingat ut obiectum suum adequatum. Quod etiam constat ex his quæ ab Aristotele traduntur in Metaphysica; nam illa ferè omnia communia sunt Deo & creaturis.

C Secundò dixi *solum ens reale, ac ens per se*. Probatur, quia ens rationis, & ens per accidens, ut dixi *quasi*, non sunt aliquid propriè scibile; nam ens rationis non est primò & directè intelligibile: ergo nec scibile. Deinde non habet veras illas proprietates, quæ de ipso sint demonstrabiles; ens autem per accidens materialiter sumptum non habet veram ullam definitionem, cum sit aggregatum plurium essentialium: ergo nec veras illas habet proprietates, quæ sint de ipso scibiles. Loquor autem de ente per accidens sumpto materialiter; quia ens per accidens sumptum formaliter, est reuera scibile, sicuti & ens illud per accidens, quod est ordinatum; nam illud habet aliquam unitatem.

D Dico secundò, adequatum obiectum Metaphysicæ esse quodlibet ens reale secundum illas proprietates, & rationes consideratum, quæ possunt esse in rebus sine materia, idest secundum quas non contrahitur à materia, quod appellatur communiter ens ut ens. Ita docet expressè Philosophus 6. *Metaph. textu 6.* & 4. *Metaphysica, textu 1.* ad cuius intelligentiam.

E Observa primò, ens tripliciter posse sumi. Primò quod per rationem communissimam ipsius entis, sic præcisa materia ut multas includat inferiores rationes entis. Secundò pro ratione ipsius entis in communi, provt includente rationes omnes & differentias inferiores, tum materiales, tum immateriales. Tertiò pro ratione communi entis includente solas eas differentias inferiores, quibus à materia non contrahitur; cuiusmodi sunt illæ omnes, quæ vel reperiuntur in solis rebus immaterialibus, vel communes sunt rebus materialibus & immaterialibus, ac proinde præcindi possunt à materia, saltem permissivè, qualis est ratio entis; ratio vnius, veri, boni, ratio substantiæ ac accidentis. Ratio autem corporis, quanti, & aliæ huiusmodi differentie, sunt entis provt contracti ad materiam; non enim reperiiri possunt in rebus immaterialibus. Ideo

Ideo illa differentia non pertinent ad ens ut ens, quod excludit eas omnes rationes, quæ solis rebus corporeis possunt convenire.

Præcisio à materia. Observea secundò, differentias entis dupliciter posse præscindere à materia. Primò necessariò; illa nimirum, quæ non possunt esse in vlla re corporea, qualis est ratio entis increati, vel immaterialis. Secundò permissivè, videlicet illa, quæ licet reperiri possint in re aliqua corporea, reperiri tamen etiam possunt in re incorporea; ideòque licet illas præscindere à ratione materia; talis est ratio entis, ratio substantia; &c. ratio autem corporis & ratio quanti nullo modo à materia præscindunt.

Triplex abstractio in scientiis. Observea tertio, triplicem in scientiis distingui solere abstractionem, quæ (ut notavi nuper) vocari solet ratio formalis sub qua in scientiis speculativis; non quòd hac abstractio sit formale illarum obiectum, sed aliquod tantum signum, per quod optimè nobis innoscit & explicatur obiectum formale scientiæ, quæ nullo modo transgreditur limites propriæ abstractionis, sed ea dumtaxat considerat, quæ intra talem abstractionem contineri possunt. Abstractio à materia singulari Physicæ tribuitur; abstractio à sensibili propria est mathematica; abstractio ab omni materia etiam intelligibili, Metaphysicæ convenit; significat enim considerari à Metaphysicæ illas & solas rationes, tum superiores, tum inferiores, quæ reperiri possunt in rebus materiæ carentibus. Superiores, inquam, seu communes rebus omnibus, tum materialibus, tum immaterialibus. Inferiores, id est, rerum materialium proprias. Quamvis igitur abstractio sumpta formaliter non sit obiectum formale Metaphysicæ, sumpta tamen fundamentaliter, seu id in ente quod fundat talem abstractionem ab omni materia, est ratio propter quam propria Metaphysicæ, cui advenit abstractio ut ratio sub qua, & conditio requisita ex parte intellectus.

Probatio conclusio- nis. Ratio ergo, cur ens ut ens obiectum sit Metaphysicæ, clara est; quia illud est aliquid reverè scibile; non est autem alia vlla scientia præter Metaphysicam, quæ illud speculetur: igitur ens ut ens est obiectum Metaphysicæ. Deinde ad illud referuntur omnia quæ tractantur in Metaphysicæ; considerat enim rationem entis in communi, generales eius proprietates, & divisiones; deinde Deum & substantias omnes immateriales, præter animam, etiam separatam; quia illa semper dicit ordinem ad corpus. Rationes verò rerum materialium proprias Metaphysicæ per se non considerat, sed secundariò tantum & per accidens, quatenus illa conferunt ad cognitionem proprii obiecti. Ratio est, quia datur pro certo aliqua scientia, quæ dividit ens in decem categorias, quarum una est quantitas; item una, quæ dividit substantiam in materialem, & spiritualement: illa scientia non est nisi Metaphysicæ: ergo illa secundariò tantum, & per accidens considerat rationes materiales, quatenus per illas inveniatur cognitio rerum immaterialium, quas considerat Metaphysicæ primò & per se. Imò rationem ipsam entis spiritualis non cognoscimus nisi per negationem omnis materiæ.

Solutio primæ dubitat. Ad primam respondeo, eo toto argumento probari tantum, quod ens rationis, & ens per accidens secundariò & indirectè cognoscuntur à Metaphysicæ; non probatur cognosci per se ac directè.

Solutio secundæ. Ad secundam respondeo, eo etiam argumento

A probari tantum, quod Metaphysicæ considerat quælibet entia, quæ sunt obiecta aliarum scientiarum sub ratione formali propria Metaphysicæ, id est quatenus abstrahunt ab omni materia, etiam intelligibili; non probari quod Metaphysicæ illa consideret sub omni prorsus ratione formali: unde non sequitur quod frustra ponantur alia scientiæ. Ad argumentum ergo distinguitur maior: illa scientia, quæ versatur circa genus, versatur etiam circa species sub eo genere contentas; versatur sub ea ratione formali, sub qua versatur circa genus, concedo; sub alia ratione formali, nego. Metaphysicæ considerat ens prout abstrahit ab omni materia, concedo: ergo considerat entia omnia particularia secundum rationes, quæ convenire possunt rebus immaterialibus, nego.

B Ad confirmationem respondeo ens ut ens, si uniuersalissimè sumatur, complecti omnes rationes, tum materiales, tum immateriales, & sic obiectum non est Metaphysicæ. Si autem ens ut ens sumatur strictius, prout videlicet contrahitur ad abstractionem à materia, est obiectum Metaphysicæ, neque sic complectitur rationes materiales.

C Ad tertiam respondeo distinguendo maiorem: illud solum est obiectum adequatum Metaphysicæ, ad quod solum alia omnia referuntur, concedo; si autem non referantur ad illud solum, sed ad alia etiam referantur, nego. Verum est, quod omnia quæ traduntur in Metaphysicæ, referuntur ad Deum & ad Angelos; sed non referuntur ad illos dumtaxat; referuntur enim etiam ad corpora, quibus conveniunt rationes & proprietates communes entis & substantia. Deus ergo, & Angeli non sunt nisi partiale obiectum Metaphysicæ. Ad minoris probationem eadem responsio est. Cognitio partis per se ordinatur ad cognitionem totius, si pertineat ad illud dumtaxat totum, concedo; si pertineat ad aliud etiam totum, nego. Ratio entis ita pars est entis spiritualis, ut sit etiam pars entis materialis, ideòque non ordinatur ad cognitionem solius entis spiritualis.

SECTIO II.

Munera & proprietates scientiæ Metaphysicæ.

D **EX** his, quæ sunt hæcenus disputata de scientia generatim, & de obiecto Metaphysicæ, manifesta sunt omnia eius munera, & diuersæ proprietates; quomodo videlicet Metaphysicæ proprium sit iuuare alias scientias, & earum obiecta cognoscere, unde sequi videatur quod alia omnes scientiæ subalternantur scientiæ Metaphysicæ. Deinde, quomodo sit vera scientia, & quidem omnium præstantissima; quomodo speculativa, quomodo perfectè una. Quæ omnia paucis exquor.

Dico primò, nullam esse scientiam, quam non iuuat plurimum Metaphysicæ, ad alias acquirendas planè necessaria; neque tamen per se primò cognoscit proprias rationes obiectorum aliarum scientiarum, quæ non sunt illi subalternatæ.

E Prima pars, quod à Metaphysicæ inveniuntur mirabiliter omnes scientiæ, probatur, quia termini uniuersales, & rationes communes entis ingrediuntur propria principia aliarum scientiarum; illos autem terminos sola explicat Metaphysicæ: ergo sine illa nequeunt alia scientiæ intelligere propria principia: ergo nec habere veras demonstrationes. Deinde nequeunt alia scientiæ scire proprias essentias suorum obiectorum, nisi cognoscant

Munera propria Metaphysicæ.

Iuuat alias scientias.

gnoscant rationes communes entis & essentia, quas tradit Metaphysica. Imò & illa demonstrat propria principia reliquarum scientiarum, per deductionem ad impossibile, utendo scilicet principiis vniuersalissimis, quæ sunt Metaphysicæ propria; vt, *Quodlibet est, aut non est*, &c. Sine Metaphysica igitur aliæ scientiæ vix scientiæ sunt, vel certè sunt imperfectæ, pluribusque erroribus obnoxia. Facem enim illis omnibus præfert, dirigitque gressus earum, vt sine offendiculo attingant sua obiecta.

Non cognoscit obiecta eorum propria.

Secunda pars, proprias scilicet rationes obiectorum aliarum scientiarum primò & per se non cognosci à Metaphysica, euident est; quia sic Metaphysica egredietur extra fines obiecti sui: tradit ergo dumtaxat principia generalia, & rationes vniuersales, quibus obiecta illa probari possint à posteriori per propriam scientiam, vnde.

Aliæ scientiæ non illi subalternantur.

Tertia pars negat alias omnes scientias subalternatas esse Metaphysicæ; quia scientia subalternata & subalternans, vt dixi, habent idem obiectum, aliqua dumtaxat affectum differentiæ accidentali: sed obiecta scientiarum omnino differunt ab obiecto Metaphysicæ: ergo illæ non sunt subalternatæ scientiæ Metaphysicæ.

Proprietates Metaphysicæ.

Dico secundò, Metaphysicam esse veram & perfectissimam scientiam, imò & esse propriè sapientiam, esse purè speculatiuam, & omnino vnā.

Est scientia.

Primò scientia est superans alias omnes scientias euidentia, certitudine, necessitate; habet enim demonstrationes infallibiles, principia vniuersalissima, & per se nota, obiectum necessarium & nullo modo contingens: ergo illa maximè omnium est scientia, quæ quia per primas & altissimas causas cognoscit obiectum suum, vocatur meritò sapientia. Est etiam purè speculatiua, quia obiectum eius non est aliquid operabile, sed in eius sola cognitione sistit hæc scientia.

Est omnino vna.

Secundò vnica tantum est hæc scientia, cuius pars vna est Theologia naturalis; quod perperam video negari à nonnullis Recentioribus. Ratio est, quia illa est vnica scientia totalis, cuius omnes habitus subordinantur eidem obiecto formali adæquato: sed omnes habitus Metaphysicæ subordinantur eidem obiecto formali, quod est ens vt ens: ergo vna tantum est scientia totalis Metaphysicæ. Deinde non cognoscimus Deum & Angelos, nisi per res materiales: ergo non potest dari vlla scientia naturalis, quæ ita de Deo agat, vt non etiam tradat aliquid commune rebus materialibus: ergo Theologia naturalis, quæ considerat puros spiritus, non est scientia totalis. Et hæc est ratio propter quam datur scientia vna Physica, quæ agit de corporibus; non datur vlla, quæ solos spiritus consideret. Denique Physica, quæ agit de corpore in communi, descendit etiam ad rationes inferiores corporum, quantum patitur abstractio eius propria: ergo Metaphysica, quæ agit de ente in communi, descendit ad rationes entis particulares contentas intra abstractionem ab omni materia. Deus autem & Angeli continentur in illa abstractione: ergo Metaphysica, quæ considerat ens in communi, considerat etiam Deum & Angelos.

DISPUTATIO II.

De generalissimo conceptu entis, & essentia realis.



VANDOQVIDEM igitur obiectum, cuius cognitionem Metaphysica intendit, est ipsum ens intra solam abstractionem ab omni materia, necesse omnino est, vt ante omnia generalissimum proponat conceptum & quidditatem entis realis; ex quo conceptu fluunt omnes eius proprietates. Eius autem explicatio duo exigit: primò quænam sit propria quidditas & conceptus præcisus entis realis: secundò, quia enti affines omnino sunt essentia, existentia, & possibilitas, videndum quid illæ sint, & quæ sit propria earum ratio.

QVÆSTIO I.

De conceptu præciso ipsius entis in genere.

PRÆscindit, vt dixi, ab omni materia, etiam intelligibili, scientia Metaphysica; vnde primum omnium ingenia hominum instituit ad abstractiones, docetque separare res inuicem coniunctissimas, & quas nullus gladius possit scindere; intellectu diuidit, secar cognoscendo. Quod ad rerum essentias indagandas omnino est necessarium. Primum igitur disputo de ipsa præcisione, vtrum videlicet detur præcisio illa, quæ dicitur obiectiua, an verò illa figmentum sit, & omnino à scientiis ableganda. Secundò, an detur conceptus aliquis communis entis & essentia omnino vnus, & obiectiue præcisus ab inferioribus differentis, & qualis ille sit. Tertiò quomodo ille conceptus contrahatur ab inferioribus: quartò, an sit vnus, an verò æquiuocus, aut analogus.

SECTIO I.

An sint præcisiones aliqua obiectiua.

Vix in quæstionem venire solebat hæc difficultas, à nouis quibusdam excogitata Philosophis, vel potius à sepultis Nominalium cineribus excitata tanto cum sonitu, vt in mera controverfia de nomine scholam vniuersam diuiserint in factiones. Altera præcisiones obiectiuas damnant vt monstra, & spectra veteris Philosophiæ. Altera tam certò illas asserente, quàm certum esse intellectum in homine. Vt autem certò diuicari possit, quàm leuis, & inanis sit noua hæc secta negantium præcisiones, quàm verò solide illas verus asseruerit Philosophia, proponam vtriusque sententiæ verum sensum, quo perspecto, concide omnino tota quæstio, & nouum commentum monebit damnatum.

Certum est igitur primò, eos qui negant præcisiones has obiectiuas, sic statuere. Præcisio, inquit, quæ cogitatio est rei vnus sine alia reali ter coniuncta, imò identificata, est duplex; altera obiectiua, seu ex parte obiecti; altera formalis, seu ex parte modi cognoscendi. Præcisio obiectiua est, quæ sic cognoscitur formalitas vna obiecti, vt